




Mba. 3.  
Q.





# Melliflui ac devotis-

simi patris beati Bernhardi primi  
Abbatis Clareuallensis egregia  
Omelia non solum fidei doc-  
trinā sed vite quoq; magisteriū ac  
iuste cōversationis speculū. nec  
non luculentissima morū pce-  
pta cōtinens. inenarrabili  
fructuū copia affluens.  
nectareac; dulcedine,  
studiosos quosq;  
lectores re-  
ficiens.

Ex officina Melchiaris Lottheri. Anno a re-  
conciliata diuinitate Willesimo quin-  
gentesimodecimoserto.

87  
16  
71

17. Januar VII, 192. 539.

Mba. 3.

**Illustrissimo & equi  
generosissimo domino dño Magno  
Principi de Anhalt. Comiti de As-  
schkōia: domīoqz in Bernburg sc.  
frater Martinus de Locha. sacre The-  
ologie professor. Abbas Monasterij  
Teiteris Lelle: Cistertiane religi-  
onis: suam in domino deuo-  
tionē: ac om̄e qđ poterit  
officij et honoris. d.**

**P**etere nuper ex me dū in Biene Lenobio versarer digna-  
ta est illustrissima dominatio tua Princeps inclyte. Et diui-  
patris nostri Bernhardi: verborū euangelij: Stabat iuxta cru-  
cem Iesu mater eius tē. Interpretamentum aut explanationem  
generosissime dominationi tue transcriptam destinare non cunc-  
tarer. Quamprimum itaqz dominionem capescbam: illico cura  
ui t egi. Ut omnis chartacea supellex publice Bibliot bece no-  
stre (que ex diuino munere satis nobis ampla est) a nostris sum-  
ma cum diligentia disquireretur: nihilqz opere usquequaqz ob-  
mitteret: quo erutuz ex obstruis opus hoc qđ alias inter impres-  
sos dicti sanctissimi patris nostri sermones t opuscula non inue-  
nitur: euestigio illustrissime dominationi tue representari pos-  
set. Sed nec in hoc profecim⁹. Tandem inter abdita que in Lel-  
lis conteguntur volumina (sicuti cuiqz nostrorum de licentia ordi-  
nata permittitur. Et deuotioni priuate quantum proualeat tracta-  
tulis deuotionem concitare potentibus inseruiac: seorsumqz utat

in parvulo abiectoq; quodammodo codice hanc ipsam Omeliam  
vel explanationem super iam fato euangelij passu offendit: impos-  
lito caractere: stiloq; incastigatissimo. quem illico legens ac rele-  
gens ob stili diuersitatem difficulter induci potui: ut crederet opu-  
sculum hoc sanctissimi ac diuinum patris nostri studio elaboratum:  
cum dulcior melle semper ex eius ore fluxerit oratio. Utrum dubium  
hoc pro magna parte sustulit parisiane vniuersitatis eximius vir  
doctor Jodocus Lichetoueus Neoportuensis. qui in opusculo de  
dolore virginis in passione filij sui: nuper edito Capite quinto sex-  
to et quartodecimo de verbo ad verbum citat Bernhardum in  
Omelia euangelij biius. Utq; verum fatear Parisien. utiq; to-  
taq; Francia: melius et ad liquidum nosse debent: que qualiaq; ex-  
tent opera diui biius patris: in quorum medio idem sanctus coa-  
luit: predicanit: multumq; se numero fructum effecit: sicuti vi-  
ta actusq; illius lucide attestantur. Necq; offendat illustrissimam  
dominationem tuam operis presentis stili diuersitas: quam reue-  
ra deuotionis vena abunde compensat. Est etenim in eo sicut et  
in omnibus varius: copiosus et deuotus. nonnunq; vitia graui  
verborum tonitruo effulminans: ad virtutemq; studiosius intui-  
tans. Hac itaq; parvulam explanationem inclita dominatio tua  
placido vultu suscipere: suamq; in ea deuotione pascere dignetur  
q; utiq; infructuosa nec esse nec fore poterit. Quoniam quā Quinti  
lianis de Cicerone sententiam protulit: eam milles verius com-  
petentiusq; de Bernhardo nostro referri crediderim. Ut is val-  
de in deuotione profecisse noscatur. Lui Bernhardus valde pla-  
cuerit. Vale Princeps illustrissime. meq; cum credito grege com-  
mendari tibi habe. Ex cenobio nostro secunda feria post Iaco-  
bi. anno a reconciliata diuinitate Abillesimo quingentesimo de-  
cimo sexto. .

Aij

**In illo tge. Stabat iuxta crucē Je-  
su mater eius. et soror matris eius Maria Cle-  
ophe. et Maria Magdalelene tc.**

**Omelia lectiōis eius dē beati Bern-  
hardi Abbatis.**

**Unde pro-  
fectus fide-  
lum.**

**Gregorius**

**G**icut christiane religionis defect⁹ ex ariditate causae  
cordis frigida. Sic nimir⁹ ex inflāmata affectōe (quā  
deuota ⁊ sancta parit in anima dulcedinis meditatio)  
omnis fidelii pfectus pcedit. Hinc est qd cū in exor-  
dio sui ecclesia ignem suscepit de celo: statim pficere cepit: eo q si  
cut Gregorius testat: foris apprētib⁹ linguis igncis: intus facta  
sunt corda flāmantia. Hunc autē ignē fideles nunc deuoti: ⁊ si non  
visibiliter: tñ inuisibiliter per sacras meditationes concipiunt:  
Propheta testante qui ait. Et in meditatione mea exardescet ig-  
nis. Inter omnia autē que pie meditantibus animo solet occurre-  
re: quid tam efficax ad suscitādā cordis deuotionē inueniri potest  
¶ hui⁹ sacri euangeli verba atten: e recolere: ⁊ castissimis cordis  
faucib⁹ ruminare. In his quidem verbis ineffabilis quedā vir-  
tus abscondita manet. que tam potens est ad resoluēdas fidelii  
animas in celestem dulcedinē. Et si etiam durissimus aliquis stu-  
pendam passionis dñi lectionē: sicco vultu ⁊ corde transiret. Quā  
ad hec verba ventū fuerit. in quib⁹ recitat illius benedicte virgi-  
nis iuxta crucem filij sui statio morientis: ⁊ filij ad matrem respe-  
ctus ⁊ allocutio: finalisqz illa recomendatio. deniqz illius matris  
a suo vnigenito separatio: a lachrymis neqz abstinere poterit.  
Quapropter hec verba deuotius libet inspicere: si forte cooperā-  
te gratia gloriose virginis (de qua principalis est intentio) mens  
nostra aliqd vnde ad celestia inardescat: inuenire valeat. Stāte  
dei filio in agone illius gloriosi ⁊ stupendi certaminis: appropin-  
quante sacro sancta anima eius ad exitū Egregius euangelista  
Ioannes ubi traditionem: comprehensionē: flagellationē: illusio-  
nem: condemnationē ⁊ crucifixionem ipius exposuit: ad fami-  
liarius memorandū subiunxit.

**Stabat iuxta crucē Iesu mater ei⁹.**

**S**tabat inquit. Nō solum bic sed etiam in Matthaeo virgo stetisse legit. ubi scriptū est. Ecce mater tua: t frātres tui foris stant. Quid reginā celi: toties stante cōmemoras: cū certe reginarū magis sit gloriose residere: aut certe delicate accubere: p stare. Nam et Berthabee Salomōis matri ingrediēti ad ipm p adoniam. surrexit rex in occursum eius: positusqz est thronus matri regis iuxta thronū filij: t sedit ad dexteram eius. Hec aut de qua sermo est mater summi regis veneranda. Cuius omnes pedisseque regine sunt. cur stetisse toties. nū pō sedisse: aut recubuisse legit? Hec citius fratres charissimi admiratio soluit: si verbi huius ratio multiplex inspiciat. Qnqz em stare recipit in oppositione ad cadere. iuxta quod apostolus ait ad Romanos. Tu quis es qui iudicas alienū seruū: suo dño stat aut cadit. Juxta quā itelligētiā bene de matre dei dicit qd stabat: que p peccatū cōmissum nunq ceciderat. Lucifer de celo cecidit qui mane oriebat. Et iccirco dī de illo: qd in veritate nō stetit. Cecidit hō prim ab hisdonis q ac ceperat: a qbus non cecidisset: si firmiter stare voluisset. Cecidit post illū vniuersitas humani generis int̄m: q teste beato Augustino. Si omnes in vnum conueniret: bac virgine excepta: nil aliud dicere possent: nisi qz si dixerimus: peccatū nō habemus: nos ipos seducim⁹. Elbi aut ad hanc suplaudabilem feminā ventum est. Ecce de illa dicit Stabat. Et non incongrue. Ex quo enim a peccato originaliter contracto: in utero sanctificata est: ab omni deinceps peccato immunis permanens. vt idem doctor egregius ait Augustinus. Cum de peccatis inquit agit: nullam de Maria fieri volo mentionē. Accipit etiam stare: in oppositione ad sedere: sīm qd sedere psonarū est honorabilii. stare vero inferiorū. Juxta quē sensum notabile t miserabile est: qd virgo mater stat. cui sup omnia reuerētia cōpetat sessionis. Ecce em (vt p omnia discurratur) sedere solēt iudices. vt in Joanne dicit. Sedet Pilatus pro tribunali. Stare aut solēt eque iudicādi. sicut ibidē subiungitur. Jesus aut stetit ante Presidem. Et ecce plus q index hec Maria qppe (si licet dicere) omni iudice superior quodāmō est. ad quā a iudicio dei ad ipius solēt appellare peccatores. vnde beat⁹ Anselmus. Fugiat inqt reus: a p̄sentia iusti dei: ad ipam matrem misericordie dei. Sedet quoqz sapiētes. vt in Matthaeo domin⁹ ait. Supra cathedrā Noysi sederūt scribe t pharisei. Et ecce plus q sapiēs hec. Ipa est em mater sapiētie: que fontē inexhaustum.

A iii

Stare in op  
positōe ad  
sedere

Augustin⁹.

Stare in op  
positōe ad  
cadere

Sedent ius  
dices.

Sedent sa  
pientes.

suo sacratissimo gestabat in utero. Mōne mirabilia inaudita scivit que illā sapientiā qua mūdus conditus est: paruū fecit infans tulū. Illā quoq; ex qua oīs theolog⁹ sapiēs iudicat: si eā v̄cūq; intelligit. ipa virgo oculis vidit. manib⁹ p̄rectauit. mēte p̄seruauit. disputas t̄ p̄ferens in corde suo: christiane religiōis magistra fin beatū Ignatiū existēs. ppter qđ etiam nō incongrue: virgo prudētissima dicit. Sedēt t̄ nobiles vt de Babilone scriptum est in Appocalipsi. Sedeo vt regina t̄ vidua nō sum. Et ecce cūctis mortalib⁹ hec nobilior. Ceteri em̄ p̄rabūt nobilitatē gñis ex his ex qb⁹ geniti sunt. Hec aut̄ p̄ter eam quā a p̄genitorib⁹ habuit generositatē traxit inestimabile ab eo quē genuit. Accirco de ilia in libro sapientie dicit. Generositatē illi⁹ glorificat p̄tuberiu⁹ hñs dei. Sedētq; senes: stantib⁹ iuniorib⁹. iuxta qđ seniores ad sedēt senes. Danielē dixerūt. Sede in medio nostri t̄ iudica: qđ de⁹ dedit tibi honore senectutis. Et ecce cūctis senibus antiquor̄ vec. Ante oēm em̄ creaturā: pri⁹ qđ celū faceret: anteq; terram fundaret. priusq; abyssos p̄stitueret. anteq; angeloz agmina fundareret: p̄ternam p̄destinationē hanc feminā singulari quadā gratia parturiuit dei sapientia: quā tandem ipa pepit feminā sapientiā in fine seculo ⁊. Hinc de seip̄a ait. Ab initio t̄ ante secula creata sum t̄c. Volent nāq; sedere p̄uiuātes. vt in Exodus scriptū est. Sedit popul⁹ mā ducare t̄ bibere. sic ecōuerso stant ministrantes: quēadmodū de ABarthā que circa frequēs ministeriū satagebar. in Luca scriptū est. Que stetit t̄ ait: dñe nō est tibi cure t̄c. Et ecce delitiosa p̄ui uatrix vec. Cū em̄ p̄tineret brachijs: oscilarēt labijs: pasteret vbe rib⁹ sacrosancti gaudētib⁹ inspiceret oculis: illū videlicet in suo ḡgineo gremio: qui in celis est cib⁹ angeloz: t̄ animarū sanctaz. Qui dubiū qn̄ interna qnādā satietate atq; dulcedie pfunderet: quā nō licet homī loq̄: Quis tali cōuiuio in terra p̄fruīt̄ ē? Ideo in cantici spūssanc⁹ in persona ipi⁹ ait. Comedi fānu cū melle meo. bibi vīnu cū lacte meo. Cū itaq; de iudicio siue potētia. de sapientia. de gñe. de venerabili antiquitate. de ineffabilib⁹ q̄b⁹ p̄uiuātis. mūdi dñā sup omnē creaturā gloriari potuerit. Accirco vt dictū est: gloriofa sessiōe dignissima fuerit. Stetisse tñ nō sedisse: scriptura eā cōmemorat. In hoc apte insinuās: qđ cū glia mūdi illa super mūdi femīa. nullū vñq; h̄e cōsortiū dignata est. O qđ gloriofa dicta sunt de te ciuitas dei. Nos oēs de te gloriofa sentimus. Imo vebemēter gloriariur: qđ te h̄e meruim⁹. Nonne t̄ tu gloriari dō

mina benedicta? Quid dixit? Audiui m<sup>is</sup>terē misericordie qd in  
ter hec oīa sentiat de se. Ecce inqt ancilla dñi. O vbbū admirabile  
sed magi amabile. O q̄ mirabiliter hic sedent: mūdi iudex t dñia  
celi. nobilis regina. Ecce sapiēs regina eterni regi mater t filia.  
pabulatrix angeloz. alitrix in tra. t ecce ancilla. Quanto maior  
es o dñia huilia te in oībus tuo exēplo venerādo instruēs: q̄ bec  
sit sola rectoz gloria. humillima de se sentire. Hec est em pfulgi  
da spēs. quā solā dei oculus dignat intueri. sicut tu ipa dīci. Res  
perit humilitatē ancille sue. Nec solū quodāmō forma hūilitatis  
s<sup>i</sup> t p augēda spe inolite pietati sue: cū stantib<sup>9</sup> stat virgo beata  
vt videlicet pctōrib<sup>9</sup> innuat: qd ipa est que sp simpliciū adest des  
uotōi. t mḡos nō curat supbos. Ip̄a ptepti seclī potētib<sup>9</sup> t diui  
tib<sup>9</sup> in auxiliū sp pauperū t pteptibiliū festinat. Ip̄a mistroz ob  
seq̄a dignanter acceptat. stans etiā cū mistri: iudicās q̄ etiā obse  
q̄osis valde familiaris existat. Nam t aduocata ad nuptias: cū so  
lis mistri pfabulationē legit habuisse. vt Joānes ait Et dixit ma  
ter Iesu mistri: qd cūq̄ dixerit vobis facite. Ip̄a q̄q̄ ancille offi  
cio functa est: dū viueret. sicut de illa testat sanct<sup>9</sup> Ignati<sup>9</sup>. cū ad  
duc in carne vgo maneret dicēs. Apud oēs operū pietati mistra. Ignatius.  
Sed qd in his imoroz q̄ gessit in terri. Cū adhuc obseq̄osa pbet  
dei genitrix in celis. Si cū fili<sup>9</sup> dei t ei<sup>9</sup> dilectos suos faciet discūl  
bere. t trāst̄is misstrabit eis. Sportet utiq̄ matrē ipi<sup>9</sup> ad dexterā  
ei<sup>9</sup> pcedere an mētas illas etiā puiuij. Propheta attestāte q̄ ait. Ne cōususo  
celesti  
Elsitit regina a dext̄i tuis. Cōstat nāq̄ q̄ panē illū hec mulier in  
vtero suo cōmisiuit t decoxit. Ip̄a em in cophino gremiū vgo  
lis portat t porrigit. quē dapifer ille celesti electi pponit. Sam<sup>9</sup>  
sūt q̄ pistoz dapiferū in puiuijs comitari solet. P̄enset ergo q̄li  
ber q̄lis est societas puiuantū. q̄ta t q̄ infinita multitudo dulce  
dis ferculoz. vbi tanta erit dignitas mistroz? Discat etiam oīs  
deuor<sup>9</sup> q̄ acceptū sit illi matri t ei<sup>9</sup> filio officiū libent ac deuote  
hic seruentū: cū a misterio nō cessant. nec ille filius nec illa mater  
etiam in illo puiuio regni celorū. Dicit etiā stare in oppositōe ad  
iacere. Sicut em iacere nō solēt. nisi infirmi aut q̄escētes. sic solēt positiōe ad  
stare sani ad coopandū parati. Per hoc aut q̄ nūsp̄ vgo aut re  
soluta aut iacere describit. signanter ab ea somnus voluptatis et  
languor accidie excludit. Dēm nāq̄ carnis voluptatē ab ea alie  
nā fuisse. nullus est fideliū q̄ ambigat si denote ad mentē redux  
rit. q̄ ip̄a carnali tboro renuncians: iniciatrix facta fuit solitudis

Hieronym⁹

De labore  
manuum.

virginalis. In quod certissime dat̄ intelligi. q̄d omnem carnis vō  
luptatem in suo potentissimo gradū: t̄ a se t̄ a suis imitatoribus  
penitus abiecit. De operositate illius venerande puelle qd dicā:  
cū etiam ip̄a sit illa fortis: de qua predixit pater eius Salomon.  
Considerauit inquit semitas domus sue: t̄ panem otiosa non co-  
medit. Otiosa esse nō potuit. que teste llheronymo sibi t̄ filio suo  
colo t̄ acu victum acquisiuit. Et tamen filius hui⁹ questuarie iū  
dicabit fines hui⁹ terre. Glides ne quomō diligat deus manū la-  
borem: qui de illo pasci voluit. cuius erat orbis t̄ om̄ia que in eo  
sunt. Otiosa esse non potuit: que omnīū necessitates suas fecit. sin-  
gulis pro sua possilitate m̄istrans. sicut paulo superius memo-  
rauimus. Otiosa esse non potuit: que singulis fidelīū respondere  
singulos necesse consolari habuit: cū ab omnibus fidelibus quea-  
rere. maxime post ascensionem filij sui. Et quia sicut ad limina  
sanctorū. Ita ad eam viuentem adhuc in carne quedam peregrī-  
natio fuit fidelīū desiderantiū videre celeste illud mysteriū. t̄ illud  
diuinū prodigiū: capsam supercelestem in qua repositus fuerat  
deus t̄ homo. vt in epistola sua innuit beatus Ignatius scribēs  
Ioanni euāgeliste. Nec solum fuit occupata valde pietati opib⁹  
s̄ in ei⁹ opib⁹ hilari: būlis t̄ indefessa ḥgo mater inuenitur. p̄z  
gritie nos valde arguens. que tanto in nobis qui serui sumus: vi-  
tuperabilior extitit. quanto ab ea que mater est: penitus sit alie-  
na. His audire alacritatem simul t̄ humilitatem in operibus vir-  
ginis. Ecce Luca testāte. Jam celitus grauidata Maria exhr-  
gi: t̄ alta montana concedit: intrat domum Zacharie t̄ salut-  
at Elizabeth. Nos autem domos pauperum non solum adire:  
sed respicere contempnū: t̄ ipsos pauperes ad nos venientes  
nec salutatione dignos reputamus. Iccirco super tanta digna-  
tione Elisabet clamat dicens. vnde mihi hoc: vt veniat mater do-  
mini mei ad me? Maria filio natol herodē metuēs: incunctanter  
illū in vlnis collocavit: sine mora t̄ murmuratione multo cum  
labore in Egyptum deportauit t̄ reportauit. Nos vero si ip̄i des-  
um haberemus. t̄ in uno loco cum periculo moriam trahimus.  
citius deum perdimus: q̄ locum mutare velimus. Maria hilaz-  
riter ad templum purificanda ascendit. que nihil impurum ha-  
buit. Filium gratanter obtulit quem celo p̄ciosiorem nouit. Nos  
purificanda plurima habemus: t̄ purificationem cum fastidio  
differimus. Multa habentes: pauca t̄ viliora cum tristitia offe-

rimus et proijciamus. Maria semper ad ecclesiam valde distan-  
tem a Nazareth usque in Ierusalem: et hoc sum diei festi consuetu-  
dinem ascendit. et sum suam singularitatem filium perdit: quem solli-  
cite querit donec inuenit. Nos vero ecclesiam et domum coniunc-  
tam segniter intramus: nec ibi Jesum querimus perditum. sed tem-  
poralia quedam querimus. Denique Maria non contenta virtuti-  
bus et donis que iam habuit. quia vere humilis existes: pauca se  
habere bona existimabat et considerabat. cum iam impleta spiri-  
tus sancto fuisset. semel in utero in sua sanctificatione. secundo in fi-  
lii sui conceptione. Cum Apostolis tamen in cenaculo Sion ex-  
pectare dedignata non est. ut adhuc spiritus sancto infunderetur.  
copiosius. sicut habet in actibus apostolorum. Nos aut si quando  
gratia modica stillam suscipimus: perfectionis apicem appreben-  
disse credimus. et cum ceteris hominibus habere communionem dedignamur  
Videts fratres charissimi quod sedula: quod humili: quod leta beatissima dei  
genitrix in opere fuerit. Dicat nunc hypocrite. dicunt stulte mulier-  
cule semetipas decipiētes: in continuo manere otio: ab omni exterio-  
ri acte qescere in angulis ecclesiarii iacere optates: solisque ptem-  
plationibz amplexibz vacam. Summa iquiū est perfectōis: ad quam  
cum quis puererit: quodquid operi bonū est: et deo placens. Sed hec ut  
arbitror: nimis sit erronea: aut intolerabili vel in collaudabili er-  
roui prima. Ego enim intelligere nec valeo nec volo aliquā hūani  
gnis filiā. ipsa de qua loquimur meliore: quod in opibz tam necessitatibz  
pietatis: et sedula fuit et deuota. Eius itaque exemplo edocet credo  
suo tpe opatiua: et suo tpe ptemplatiua vita deo gratissima sit. In  
hac vicissitudine prior est actio pteplatōe. eo quod teste beato Grego-  
rio. Non sit bonus ptemplatius: nisi quod primum fuerit sedulus actus  
et miro quodammodo ptingit quod caro vires administrat spiritui. quod tunc  
vere delectabit et fructuose mens ascendit intima ciuitatis illius  
superne quod caro bene fatigata fuerit in operibz misericordie. Et  
quia tante auctoritatis est apud deum indefessa operatio. sic circa  
de hac forti muliere que utrancque perfectionem habuit incompa-  
rabiliter: in Proverbiis scriptum est. Et laudent eam in portis  
opera eius. non autem contemplationes eius. Dicitur autem sig-  
nanter de virginē quod stabat. quia omnem carnis voluptatem sup-  
peditauit. et super pigros semetipos in lectulis versantes seu  
vertentes: ut hostium in cardine se per studium indefesse opera-  
tionis erexit. Alio quoque inuenitur stationis intentio. ad pro-

L'otra otus

De acte et  
compteplatōe

Stabat

positum forte magis conueniens. Nam stare dicit in cōparatione  
ad moueri: sīm quē modū dicuntē stare in acie: qui nō fugiūt. Sta-  
re quoq; in pace dicuntē: q̄ disciplinā seruātes: semetipos inordi-  
nare nō agitāt. H̄z nōne iuxta hāc significationē apte dī de virgi-  
nate qd̄ stabar: que cūctis viris recedentib⁹: discipulis oībus fugi-  
paratiōe ad entib⁹ in gloriam toti⁹ feminei gñis: inter tot p̄ssuras filij sui con-  
moueri.

Stare in cōne qd̄ stabar: que cūctis viris recedentib⁹: discipulis oībus fugi-  
paratiōe ad entib⁹ in gloriam toti⁹ feminei gñis: inter tot p̄ssuras filij sui con-  
moueri.

stāter cū illo pene sola remanebat. Tradito eī dño Iesu: cū du-  
ceret vinctus discipuli ei⁹: vt in euāgelio scriptū est: relicto eo fu-

Stare in pa- gierunt. Lui bene ex opposito respondet textus ille.  
ce.

## Stabat autem mater eius.

Ecce impletū est qd̄ p̄ ysaiam ip̄e filius ait. Ocular calcaui so-  
lus & de gentib⁹ nō eit vir mecum. vere nō vir: q̄ viri fugierūt. H̄z  
mulier cor gerens virile stabat. Hec virago vocabit: q̄ viriliter  
stetit. Hec est fortassis illa solēnis statio de qua in Ecclesiaste scri-  
ptū est. Generatio p̄terit & gñatio aduenit. terra aut̄ in eternum  
stat. Generatio p̄terit: qñ beatus Petrus cū ceteris ecclesie p̄n-  
cipibus fugit: gñatio aduenit. qñ latro ppter scelera suspeſus au-  
dire meruit: hodie mecum eris in Paradiso. Terra aut̄ illa bñdic-  
ta que fructū diuinū p̄tulit. in eternū stetit immobilis. nequaq; a  
moriēte recedens: que viuentē nunq; dereliquerat. O colūna im-  
mobilis. Beat⁹ ille q̄ tibi innitit. o stabile fundamētu ecclesie. be-  
atus qui circa te meditādo versabit. Nec solū stabat Maria: q̄  
non fugit: sed (quod valde amabile & imitabile nobis esse debet  
in virgine) ideo pulchre stetisse dicit: que in tanta sui amaritudine  
nihil indecēs: nihil indisciplinatū egisse legit. sed qd̄ oīno pudici-  
tiam deceret virginale. Sūt eī plangentū siue dolentiū tria gñia  
Quidā eī & dolorē hñt veraciter in corde. & eundē dolorē in men-  
te excedēdo exprimūt exteri⁹ in opatōe. Tale aliqd̄ passus est he-  
ly: sicut in p̄mo libro Regū legit: q̄ audiēs a p̄blistis captā esse  
archam dei: cecidit retrosum: & fracti ceruicib⁹ expirauit. Qui  
dā x̄o nihil moleste patiunt̄ in corde: ppter honestatē tñ dolorem  
exteri⁹ simulat: multo clamore: & bestiali quadam gesticulatione.  
Quem modū plāgendi solēt habere iuuencule de morte maritorū  
deformiū & vetulorū. Sed nōne vterq; p̄dictorū frustra se affligit:  
Primi qd̄dem sine clamore & inordinato motu sui ab oīb⁹ credit.  
Scđis aut̄ q̄t omagi insonuerint. tanto minor fides adhibet. Ica  
circo tertiu⁹ modū plangēdi q̄ valde human⁹ est: v̄go mater nos

Maria ste-  
tit discipli-  
nante.

Tria gene-  
ra plāgētiū

docuit: que cū in corde tam amarū dolore gestauerit. nihil tñ fedū  
nihil indecēs exteri<sup>o</sup> (vt estimo) gessit. nequaq<sup>ue</sup> obliuiscens in tā  
tis angustijs: t fidei catholice t virginalis pudicitie. Dolorem eī  
sūn incomparabile t fides quā de resurrectōe filij sui habuit. tē  
perauit: ne deficeret. t modestia puellaris ordinauit: ne indiscipli  
natū qd cōmitteret. vnde recte dicit. q iuxta crucē stabat. Non  
aut cadebat aut insaniebat aut fugiebat. Et constantia īp̄ius no  
bis t modestia fidei catholice t virginalis pudicitie. Ecce audi  
uimus de Maria quod stabat. sed ubi steterit inquiramus.

**Iuxta crucem Ihesu.** Om̄di dñā qd hic stas?  
qd hic agi? q̄s te hoc ad  
dixit? quam ob causam huc venire voluisti? Quid tibi t cruci?  
Quis vñq̄ q̄ te cognouisset reginam angelorū t hoūm presumere  
ausus fuisset: q̄ stares iuxta patibulū? An habes qd in ip̄o pati  
bulo: qd debeas respicere? t cui debeas merito societatē exhibe  
re? Habes vtiqz. Sed qd est hoc obsecro? Jesus iuxta crucē ius  
qt Jesu. Iste vñ fili<sup>o</sup> idem t pater est tibi. Ip̄e idem tibi sp̄osus  
est t dñs. Ip̄e tuus homo est t de<sup>o</sup>. Quā cōgruū est qd virgo ma  
ter Jesu crucifixo astaret. q̄ vere in illo vno oīa habēs: eū nō des  
buit dimittere. Quondam illū amiserat. non nisi post triduū. t cū  
merore circuiens per vicos Juda inter cognatos eum req̄sivit.  
donec inuenit. Non aut ampli<sup>o</sup> inter cognatos eū querere opos  
tet. testante euangelio. Stabant omnes noti eius a longe. Quid  
ergo faceret pia mater Jesu. nisi staret iuxta crucē Jesu? Si nūc  
ab eo discessisset: q̄s sibi eū ampli<sup>o</sup> iudicasset? Quis eī celestium  
terrestriū vel infernorū cogitare presumeret: q̄ ibi staret fili<sup>o</sup> dei?  
Sed si in principio cū ceteris recessisset: postea redeunti dictū fuiss  
et. Ecce Maria Jesus tuus. quō credis q̄ eū cognosceret? Ja  
eī suimi sacerdoti facies mutata est. Lerte ip̄a illud iam dicere  
poterat. Inhoruerūt oēs pili carnis mee. Stetit qdam cui<sup>o</sup> vul  
tū nō cognoscēbā. imago corā oculis meis. Consueuerat eū vide  
renō nisi vestitū. fortassis veste quā sibi fecerat. t ecce stat nuda  
caro illa sanctissima: pprio cruce respersa: tota dilacerata: tota  
dilaniata. integrum corpus filij sui: qd in ingressu t egressu de  
vtero tantū virginitati matris contulit vt nascens integrum eam  
dereliquit. Et ecce min<sup>o</sup> sibi q̄ marri parcens: benedictū corpus  
crudeliter pfossum t pforatū est: videant man<sup>o</sup> illas sp̄ aut bene  
dicētes: aut infirmos tangētes. aut aliud opus pietatis exerceſtes

et ecce p̄fixe st̄i. Audire p̄suuerat de illo die aureo sp̄ celestia sp̄ cō  
solatoria verba. t̄ ecce p̄e angustia clamat valide: de⁹ meus de⁹  
meus vt qđ dereliquisti me? Eluide inspererat vultū illū diuinis ras-  
dijs fulgidū: q̄ sibi valde amabilis ad inspiciēdū fuerat. t̄ ecce in-  
clinat⁹ expalluit t̄ exaruit. hinc liuid⁹ hinc sp̄ut⁹ illit⁹. hinc cruen-  
tar⁹. Quid inter hec faceret mat̄ illa: nisi q̄ staret iuxta crucē? Si  
em̄ domi sedisset: dū hec siebat: duplicit⁹ fuisset dolor ip̄i⁹. M̄ari-  
ro igit̄ concepto p̄silio dicebat in corde suo. Stabo t̄ expectabo  
mortis sententiā: quam Pilatus feret in dilectū filiū meū vnigeni-  
tū. Sequar a tergo egredientem de Jerusalem. conspiciā lachry-  
mosis oculis quō ducat. quomō spoliet videbo: p̄siderabo quō  
pforabūt manus ei⁹ t̄ pedes. quō eum affigent patibulo. quō eri-  
gant in ligno. Et cum his omnib⁹ peracti secesserint: t̄ pcul stes-  
terint. non appropinquantes ei ampli⁹: tanq̄ maledicto in ligno  
pendenti. Tunc ego accedam proprius: t̄ stabo iuxta crucem mei  
Iesu. amplectar illū brachijs. de osculabor labijs. rigabo lachry-  
mis. Et q̄ mori non licet cū eo. infigam tñ oculos meos in suspen-  
so filio. Aspiciam quomō de hoc mundo exeat. qm̄ sola utiq̄ nos-  
ui. quomō in hunc mundū venerit. morientem non deseram: quē  
vivente nunq̄ dereliqui. Q̄ aut̄ virgo mater cruci se de ppe cō  
unxerit. Euangelista expresse innuit. ubi ait. q̄ stetit iuxta crucē  
Iesu. Cum siquidem tres essent crucifixi. duo videlicet latrones  
vnus hinc alius inde. t̄ in medio Iesus. Si M̄aria in campo re-  
motius stetisset: non magis diceretur stetisse iuxta crucem Iesu.  
Q̄ iuxta crucem latronū. Hunc autem non otiose dicit: q̄ stabat  
iuxta crucem non quamlibet: sed Iesu vt quantū se illi medio cru-  
ci vicinauerit ostendatur. quantū ad differentiam aliorū que nō  
multum distabant. Juxta istam stetisse perhibetur. in quo pie  
credit q̄ crucifixo cui tam prope astabat: multa materne pietatis  
officia exhibuerit. licet hic in euangelio scriptū nō sit. Crux aut̄  
Iesu pulchro dicitur. quia quasi solam crucem t̄ non aliud in ter-  
ra possedisse videtur. Quondam ipse cuidam de se dixit. filius  
hoīs nō habet ubi caput suū reclinet. Huc aut̄ aliqd p̄priū videb̄  
babere ip̄e Iesus. Quid obsecro? Crucē ait em̄ Ioannes. crucē  
Iesu. Hanc q̄ppe licet ip̄e nō fabricauerit. tñ eam de Hierusalem  
exportauit. ip̄e illā t̄ nō alid inhabitauit. Hierusalē hierusalē q̄ra  
celit⁹ tibi apportauit Iesus. t̄ ecce nō reportat a te nisi crucē. Et  
qd mirū: si iuxta hāc crucē stat virgo. mater tam familiariter: cū

sicut dicitur est: sic proprietas filii sui. Dixit olim huic matri filius: in  
hīs que patris mei sunt oportet me esse. In cruce itaque cum filio  
stare voluisset: si licuisset: quod quia nō licuit (cum ex p̄cepto pa-  
tris: non nisi filius eam inhabitare debuerit) stat iuxta crucē Ies-  
su. Mira res stupēda: sed nō min⁹ miserāda. Ip̄m cruci affixum  
universus pene mundus dereliquerat: discipuli fugā dederūt. in-  
firmi quos curauerat nō cōparuerunt. Turbe quas miraculose  
pauerat p̄cul steterūt: t̄ crucifixo insultarunt. Judei p̄tereuntes  
caput mouerūt t̄ subsannauerūt. Adilites tumultuātes vestimē-  
ta diuiserunt. Inter hec omnia

## Stat iuxta crucem Iesu Mater eius

Quā paucis. Etere congrue sibi astitisti pia marer: cūctis eū deserē  
tib⁹: qui olim ad te solam venire dignatus est: dimissis creaturis  
oībus. Hic est enim indomit⁹ ille unicom⁹ t̄ incōphēsibilis oībus  
seculis: q̄ dudū agitat⁹ t̄ fatigat⁹ sanctoz patrū desyderijs: t̄ al-  
tis spiriūs semetip̄m p̄tinere nō valēs: tandem in gremio tuo vir-  
gineo captus est. Et ecce vicem reddidisti vtrūq; illi dignationi.  
Ille se tibi dedit: derelinquēs oīa. Nunc aut̄ oībus eū derelinquē  
tibus: int̄m: vt ip̄e clamaret de cruce: q̄ pater eū derelict. tu bona  
genitrix permanēs. tu stanti in cruce: iuxta crucē stando societatem  
defendā exhibes. invisibiliter patiēs: qđ ille passus est visibiliter  
Audite hec omnes gentes t̄ contremiscite: audiant t̄ obstupe-  
scant cardies terre. Stat deorsum in terra: sed in uno terre loco:  
q̄ in loco caluarie: ubi dampnati puniebant̄: dñs Jesus t̄ sedet  
in throno sursum in vertice oīs creature. uno t̄p̄est at in cruce: et  
sedet super cherubim. Stat solus: t̄ pene null⁹ secū: sedet sursum  
et milia miliū ministrabant ei. Si decuit ex antiquo consilio p̄tis  
ita stare in cruce Iesuz: q̄s sibi digni⁹ societate exhibebit: stat in  
cruce: q̄ illa: quā dignā suo p̄sortio iudicauit in celis: amictā sole  
et lunā calcantē sub pedib⁹ et habentē in capite coronam duode-  
cim stellarū. Dixerat olim ip̄e Jesus: qui nō tollit crucē suam et  
sequit̄ me: nō ē me dign⁹. Hec aut̄ de qua loqmur: hanc crucē si li-  
cuisset sustinuisse. Sed q̄ nō licuit. ideo saltē stabat iuxta crucē  
ad cōpartiendū ei. Imo etiā tantū vel magis passa est ibi q̄ aliq̄s in  
morte corporali. gladi⁹ em̄ dolori aiām ei⁹ p̄transiuit. Ellia quoq; z  
rōne Maria necesse habuit ut staret iuxta crucē Iesu. Quis em̄  
ignorat hanc dñam nostrā thesaurariā esse celi: sufficientē cuncti;

Unicornus  
Jesus

B

necessitatib⁹ mortaliū. ita vt de plenitudie ei⁹ accipiāt vniuersit⁹.  
Et vbi hec oīa obsecro hausit: q̄ supplicatib⁹ tā liberalit⁹ distri-  
buit: Juxta crucē vt arbitror Iesu. vbi eruperūt grārū flumina  
do fontib⁹ saluatoris: de qb⁹ tunc hausit Maria haustū fidei: quē  
tūc effudit i hydriā pietati. Glidit olim in spū Ezechiel aquā egre-  
diētē de tēplo a latere dextro. Et ecce Maria tēplū hoc nō in spū  
sed oclis carnalib⁹ videre meruit aquā cū sanguine egredientē de  
tēplo dei nō lapideo: sed de tēplo corporis sui. Et hoc a latere dex-  
tro: vbi lācea militi pforatū est. Hic est flum⁹ ille q̄ egressus est de  
loco voluptatis: de corpore videlicet dñi Iesu. q̄ inde in q̄ttuor ca-  
pita distribut⁹ est. Iste est ille fons patēs quē pdixit Zacharias  
ppbeta futurū domui David in ablutione p̄tōs ⁊ menstruare:  
Ita igit̄ decora ḥgo ita iuxta crucē. ⁊ ipse hydriā tuā: ne liqr ille  
pciosus ad nihilū defluat. q̄ cūcti fugietib⁹ haustoria fidei defes-  
cerūt vscq; ad te. Et cū ipse ueris ostēde ex ipa libersli effusioē mas-  
trē ⁊ sponsam te esse saluatoris. Hoc enim iudicio ille antiqu⁹ Ihesus  
ezer spōsam q̄siuit filio Abrahe: cū in Mesopotamia, venisset ad  
puteū ⁊ ait. Ecce sto ppe fontē aq. ⁊ mulieres ciuitatis egrediēt  
ad hauriendā aquā. Ideo puella cui dixerō: iclina hydriā tuā vt  
bibā. Et illa dixerit. bibe dñe. nā ⁊ camel⁹ tuis potū tribuā. Ipā ē  
quā pparauit dñs filio dñi mei. Ecce ḥgo misericors ⁊ benignus.  
ecce nos oēs stamus prope fontem aque: id est passionē filij tui in  
spicimus ⁊ recolinus. Sed peccatis nostris exigentib⁹ emolliri  
ad deuotionē nō possumus: valde sitimus. sed haustoria nō habe-  
mus. ⁊ pute⁹ alt⁹ est. Sed memēto obsecro o dñā cū quāta amar-  
ritudie. cū quāta habudantia de hoc fonte hausisti. Et q̄ seruis  
tuis effundis liberalit⁹. etiā camelis tuis. i. p̄tōib⁹: sarcina p̄tōz  
carni onerari potū tribue ad aōrē crucifixi filij tui. ⁊ ad celesti p̄rie  
desideriū nos accēdēdo. Ut sicut tu toti⁹ humani gñis es gloria.  
Ita de plenitudie tua accipient vniuersit⁹. Sic certe stabas vt esti  
mo iuxta crucem. Est ⁊ alia adhuc aptitudo rationis ex qua pul-  
chre iuxta crucē Maria stetisse describitur. Quia videlicet Ma-  
ria cum cruce multū concordat. Et anteq; in ea pateretur dei fili⁹  
et post. Ante illam quippe passionem crux adeo maledicta fuit:  
vt maledictus fuisset omnis pendens in ea. Similiter ⁊ virginis  
tas quam initiauit Maria: ante hoc tempus adeo maledicta fu-  
it: q̄ mature virgines precipue uirginitatem deplangerent. eo q̄  
posteritatem in terra non relinquerent. sicut in libro Iudicū scri-

Crucis Christi  
⁊ virginis  
tatis Marie  
comparatio

ptū est: & legit de filia Iepie. Postq; vero & Maria virginitatem  
et Christus crucem dedicauit: Maria cum cruce habuit multam  
silitudinem: & in virtute & in decoro. Quō in virtute? Ecce crux ex-  
pellit demonia. sanctificat omnia que per ipsam sunt benedicta.  
Quid autē tantū timet demones q̄ vocabulū Marie? Quid adō  
sanctificare potest omnia q̄ illa? & illi de celo missa est benedictio.  
Erit enim illi angelus. Benedicta tu in mulierib;. In decoro quoq;  
& gloria valde concordant. Ecce enim crux illa valde ignominiosa  
de locis pena rū transiuit ad frontes imperatorū. Crux illa so-  
dens squalore dampnatorū corporū. nunc fulget in dyademate  
regū. Crux quondam mundi opprobriū. nūc clipeos & arma dis-  
tinguit principū. Crux que digna non fuit videri. nūc signat fa-  
cies p̄matū: principū ac pontificū. Crux quondam hoīb; horrida.  
nūc in vexillis posita post se trahit exercitus militū: & processiones  
populorū. Crux illa quondam truculenter distendens corpora las-  
tronū. nunc ornat frontes templorū. Crux olim tūm loca deserta  
occupans. nunc distinguit incerta viarum. Crux quondam terre  
portionem vilissimam subiugauit nunc totum mundum. Crux  
quondam nec ipa terra digna fulgebit in celo: precedens iudicis  
aduentū. Audistis gloriam crucis. de Maria quid dicam? Ec-  
ce puella illa quondam respecta femina. Illa que iudeis quasi de-  
liramentū est visa. Mater illa paupercula plena lachrymis iux-  
ta crucem stans pene solitaria. Ecce nunc gemmis in ecclesia ru-  
tilat. Nūc certatum iustus et iniustus colit eam et inuocat. Nūc  
eam et suam imaginem fidelis contio super altare collocat. Nūc  
eius nomini templa principalia dedicantur. Nūc pro illa litigat  
pie cuncte religiones: quarum potior sit patrona. Audiunt nos-  
men eius fideles populi: et devote curuant genua. Currunt per-  
egrini mundum peragrandes. maria nauigantes. Ut saltem  
loca videre liceat: in quibus habitavit Maria. Petitur et  
abicit quod negetur eleemosyna. Generosi huius mundi seip-  
sos honorantes valde: filias suas appellant hoc nomine. ut vtis-  
nam que hoc nomine censetur: aliena semper remaneat a copia  
la carnali. Ihec & multo amplior est gloria Marie in hoc exilio.  
vbi tamen non est: nisi quedam eius memoria. Quanta credi esse  
in celo: vbi eam oculo ad oculū inspiciunt & exultant uniuersa ce-  
li agmina? Tides igitur q̄ apte iuxta crucem inueni: cum qua  
habuit multam silitudinem. Congregemur itaq; fratres charissimi:

B ij

accedam<sup>9</sup> deuote cū dñā t̄ matre nostra non sola stet. Sicut iuxta crucē Iesu. plangam<sup>9</sup> illud amabile fun<sup>9</sup>. cū beata matre ei<sup>9</sup>. Ecce ipa nob̄ cū filio p̄parat regni soliū in patria. Nos interum nō p̄igeat cū ea iuxta crucē stare. in hoc exilio terminādo: q̄ pfec̄ti socij p̄solutionū non erim<sup>9</sup>: nisi t̄ tribulationū socij fuerimus. Sed quo vocabulo iuxta crucem stans nuncupetur audiamus.

**Mater Ius.** Quare nō appellat̄ x̄go Maria a p̄pō nomine: sed magis ex maternitate? Sicut enim dictū est Maria Cleophe. ita bñ dixisset Maria Joachim. Sed nec hoc vt opior otiose dictū ē: matrē ei<sup>9</sup> fuisse q̄ iuxta crucē stetit Euangelista iccirco cōmemorat vt culpa iudeoz eo grauior apparet: q̄ filiū in oculis matrī aspiciens mactantes: legem manifeste transgressi sunt. In Deteronomio q̄ppe scriptū est. Non coqueshedū in lacte matrī sue. Hodus imolar<sup>9</sup> q̄ iuxta ritū agni in Exodo tolli t̄ assari iussus est. Christ<sup>9</sup> est dñs de<sup>9</sup> noster q̄ velut agn<sup>9</sup> ad occisionē duct<sup>9</sup> est. t̄ nō aperuit os suū. hic in lacte m̄ris coct<sup>9</sup> est: dū circa idē tps q̄ quondā in x̄gine p̄cept<sup>9</sup>: dū adhuc te nella esset caro ei<sup>9</sup> in vtero. vertētib<sup>9</sup> annis triginta trib<sup>9</sup>: in oculis eiusdē matrī t̄ x̄gis crucifixus est. Et q̄ tam in hoc q̄ in alijs plurib<sup>9</sup> circa ei<sup>9</sup> mortē legem p̄uaricati sunt: locū: legem t̄ gentē p̄dere meruerūt. Propter hoc etiā matrē vocat Iesu. qñ iuxta crucē stetit Ut hereticoz pueritas p̄fundereb<sup>9</sup>: quoz q̄dam dicunt Christū nihil h̄e de carne t̄ sanguine: sed corpus fuisse fantasticū. Alij x̄o eū corp<sup>9</sup> de celo apportasse: t̄ de nostro ḡne natū nō fuisse somniant. Audiat̄ hi oēs t̄ p̄fundant: q̄ stabat iuxta crucē Iesu mater ei<sup>9</sup>: mater vera: mater venerāda: mater intacta. Alia q̄qz rōne bñ vocat̄ stans iuxta crucē. vt videlicet magnitudo passio- nis dñice q̄ mēte nō modicū q̄d sustinuit ex assistētia dilecti m̄ris illi<sup>9</sup> quā desolatā in effabili mero: e plenā cognouit. Hoc ex eo p̄bat̄: q̄ in pxio iam moritur<sup>9</sup> amarissime morti pene oblit<sup>9</sup>: de salute matrī cōpassus est. Ut in hoc vltio spū p̄stitutus disponeret quō hic manere deberet: alteri eam cōmendādo. O dolores inexplicabiles. o ineffabilē reciprocationē sancti amor. Fili<sup>9</sup> patitur valde. ac mater n̄mis cōpatiebat unigenito. fili<sup>9</sup> q̄qz recōpassus est cōpatiēti matrī. Tant<sup>9</sup> enim fuit impet<sup>9</sup> passiōis dñi Iesu. Ut q̄si torēs Christū patientē impleret dolor t̄ inebraret. t̄ eo impleto in matrē efflueret. q̄ silē impleta in ipm filiū patientē: passio q̄dāmō retundaret. Ubi impletū est qdā in Ecclesiaste dictrum est.

Ad locū vñ exēūt flumia reuertūt: vt iterū fluant. O viscera ma-  
terna beatissima atq; sc̄tissima quāta fuit intra vos cōmotio in il-  
lo tpe cū dissecareſ: oculis matnis vidētibꝫ t lacerareſ. caro illa  
sacrosancta q̄ intra uostam dulciter a spūſctō est cōpacta. quā-  
do etiā ad solā morti imaginē matris illi⁹ viscera p̄tremuerūt. cui⁹  
filiū Salomon scindi iuſſerat: vt exclamaret q̄ integer seruaret.  
Cōmota sunt q̄pp̄e viscera ei⁹ ſup filio ſuo. Tu aut si in celū cla-  
mares vt integer seruaret ille tuus fili⁹ bon⁹ t optim⁹. qd profe-  
cſſes cū vniuersi te circumſtantes vna voce p̄crepantes dixerunt:  
Crucifige: tolle: re⁹ eſt morti Si hūc dimitti nō es amic⁹ Cesarī.  
Iccirco dolor q̄ ab alijs matribꝫ exp̄mit signis exterioribꝫ pene  
tot⁹ intra te puerſus: viscera tua inenarrabilr cōmouit. Ad quin-  
ſil⁹ t filij tui mortē nō īmerito p̄tremuit terra: t vera fra.i.iudea:  
lapididibꝫ durior. Lui⁹ cor hi ad mētē ſduct⁹ emolliri nō potuit.  
Iccirca Euāgelista Mariā vbi iuxta crucē ſtetit: matrē noīat.  
vt videlicet om̄i deuoto pateat: ſi matrē miſcdie q̄rit. vbi eā maxi-  
me querere debeat. ita vt efficaciter eam iueniat. Vbi eſt obſecro  
iudica ſi noſti: vbi inueniri poſſit: vbi paſcat: vbi cubet in meri-  
die: ſi quomodo valeamus eam inuenire? Ecce indico.

## Stat iuxta crucem ihu Mater eius.

Ibi illā q̄rat: ibi inueniet. ſacrī meditatōibꝫ pulſet. deuoti p̄cibꝫ  
q̄cūq; eā iuenire deſiderat p̄certo t dicat. Aſſemēto obſecro dul-  
cis dñā t mat̄ illi⁹ venerande ſtationis qua tuo tam beato filio in  
cruce p̄denti aſtitisti. Reduc q̄ſo ad memorā cordi tui cogitatio-  
nes: t inoſentis aīe tue anguſtias quas tūc habuisti: q̄n̄ innoſens  
ille tuus vniigenit⁹ corā te ūmolat⁹ eſt. Et recogita q̄ oīa p̄ pctō-  
ribꝫ tolerare voluit: quoꝫ p̄m⁹ ego ſum. Ille mihi p̄ſtitit vt ſim  
frater ſu⁹. Ergo tu ne dedignerſ pia mat̄ vt ſim fili⁹ tu⁹. Habe er-  
go piſſima dñā me in dignū tibi cōmendatū. Ad te hodie o vni-  
ca ſpes miseroꝫ: p̄fugio plen⁹ fiducia tibi meip̄m t oēs necessita-  
tes meas cōmendo. Le hodie in matrē t patronā pre cūcti p̄op-  
to. Noli ergo pia mat̄ ſpernere me: p̄pt eū q̄ amore mei nud⁹ t la-  
cerat⁹ pepēdit corā te in cruce. Quō credi q̄ ſeip̄am negare po-  
ſit ei: q̄ illā hoc mō iuxta crucē aggressus fuerit. Quia igit virgo  
beata iuxta crucē q̄ſita eſt t pulsata: certiſſime ſe matrē ostendet:  
vbi t quondā mat̄no affectu tota absorpta ſtetit. vnde bñ matr̄  
noīe exp̄mit: cū dī iuxta crucē Ihesu mat̄ ei⁹. Ecce dilectiſſimi ſta-

Dulcis be-  
ati Bernar-  
di oratio ad  
matrem

B iii

tionem gloriose virginis iuxta crucem: licet insufficienter exposita  
tam audiimus. nunc coassistentium conditionem inspiciamus.

## Et soror misericordiae et maria cleophae et maria magdalene.

